

ses de hac via nostra ortam decisurus ad literas Brandenburgici Marchionis provocat, iisque nifus viam, qua per urbem Gorlicensem itur, non solum confirmat, sed reliquas etiam, quæ Seydenbergam, Schoenbergam & Friedlandiam ducunt, reprobat, ita pronuncians : Nos Joannes, Bobemorum Rex, ac Lucemburgensis Comes, notum facimus tenore præsentium universis, quod inter fideles nostros, dilectos cives civitatum nostrarum Goerlicensis & Zittaviensis, super transitu stratarum per Seidenberg & Schoenberg, in districtu Goerlicensi, & quibusdam juribus, litis controversia suborta extiterit, ad cujus sopitionem prædictis civibus utriusque civitatis terminum ad nostram præsentiam præsignando deputavimus deputatum, in quo prædicti cives nostri Goerlicenses coram nobis jure & antiquo testimonio Marchionis Brandenburgici demonstrarunt rationabiliter, quod etiam in antea perpetuis temporibus sanximus & statuimus, a singulis mercatoribus & vectoribus, cum quibuscunque rebus transeuntibus, infallibiliter observari, videlicet, ut omnes mercatores, vectores, & quilibet de Saxonia, Polonia vel aliunde transeuntes, ut prædictum eum districtum Goerlicensem attigerint, principaliter trans civitatem nostram Goerlicensem transire, & singula jura & consuetudines ibidem debitas, seu ab antiquo observatas, observare debeant & explere. Inhibemus itaque, & inhiberi mandamus, ut nullus omnino stratas per Friedland cum quibuspiam mercibus seu aliis rebus transire debeat, prout indignationem regiam, & corporis & rerum evitare voluerit periculum. Committimus igitur illustri Carolo, Marchioni Moraviae, primogenito nostro charissimo, & cæteris nostris hæredibus, & successoribus, & mandamus universis nostris officialibus, præsentibus & futuris, quatenus prædictos cives nostros Goerlicenses in prætaetis gratiis, juribus & consuetudinibus conservare, & prædictas stratas per Friedland cæterasque in districtum Goerlicensem prohibitas, inhibeant, & per alias stratas ad dictam civitatem nostram Goerlicensem transire singulos